

(e) Facinorosi olim ad deterrendos a sceleribus alios honore sepulturae prohibebantur : ita enim Romani consueverant, ut, adhibitis custodibus, eo usque cadauera eorum publico loco inhumata proiicerent, donec in putredinem abierint : quemadmodum haec eruditissimi Viri, *Petrus Faber Semestr. L. II. c. 9. Lipsius de Cruce. L. II. cap. 16. Talentonius Var. Rer. L. II. c. 9. Fornerius not in Cassiodor. L. II. Epist. 22.* abunde demonstrarunt. Nec id moris hodie defuisse, ipse nos exempla edocent, cum rotae suppliciiis affectos, quandoque etiam suspensos, aliosque flagitiosae cohortis socios, alia infami morte multatos, sub aperto coelo per longam annorum seriem insepultos iacuisse, compertum sit. Nostrum hunc etiam merito in numero eorum, qui, profligato et posthabito omni uerecundiae studio, scelerati dicuntur, referendum esse quis dubitet? Nihilofecius tamen idem non solum sacro et honesto in loco terrae mandatus : uerum etiam postea, quod magis est, Caspari Schonbergii cura studioque effectum, ut funus illius pompa sepulchrali, quemadmodum apud honoratiores usu euenire solet, adornatum fuerit. Qua in re num bene sapienterque Episcopus egerit, alii iudicent : saltem dignus is nobis uidetur, qui *Venusini* uerbis

L. II. Od.  
20. v. 23.

*Compesce clamorem, ac sepulchri  
Mitte superuacuos honores,*

compelletur. Haud dubie enim hoc ipso sibi Principum iras attraxit, quas tamen, si sapuisset, facili negotio declinare poterat. Alias de ipso luxu funebri Historici non unam eandemque fouent opinionem : *Fabricius* pannum, auro textum, mortui feretro, (cuius loco *Albinus*, Tit. XXI. p. 273: *Dresserus*, *Seb. Muller. Criticus* sepulchrum ponunt, per reliqua autem *Fabricio* subscribunt) iussu Caspari, Praefulis, impositum fuisse tradit. *Andr. Mollerus* in *Annal.*

*Freib.*